DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA DE CESSIONE BONORUM FAMAM NON...

Conrad Wilhelm Strecker, Christian Gottfried Conradi, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

JO. CHRISTIANO HENNICKEN,

SACRÆ REG. MAJEST. POLON. ET ELECT. SAX. A CONSILIIS CAMERÆ ET METALLORVM,

Digitized by Google

NEC NON

VIRO

EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMOQVE DOMINO,

DOMINO

GOTTLOB FRIDER. NESTERN,

SERENISSIMI AC POTENT. REG. POLON. ET ELECT. SAX. CONSILIARIO REDITVVM PVBLICORVM, QVI VULGO VOCANTVR ACCISÆ,

DOMINIS ATQVE PATRONIS

SVIS OBSEQVIOSO CVLTV DEVENERANDIS.

Digitized by Google

VIRI
ILLVSTRIS AC EXCELLENTISSIMI,
DOMINI ET PATRONI
SVMMOPERE DEVENERANDI,

Q*Vamvis ſecundum Jurium poſitiones, privilegia gratioſa quæ perſonis conceduntur, illis ita cohæreant, ut perſonam non transgrediantur, ſed cum eâ expirent*, §. 6. J. de Jur. Nat. Gent. & Civ. *&* l. 196. ff. de Div. Reg. Jur. *&* per l. 68. ff. eod. *in omnibus cauſis id obſervetur: ut, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat; id tamen de illâ, quâ* VOS, ILLVSTRIS *atque* EXCELLENTISSIMI VIRI, B. PARENTEM, *multis, dum viveret, abhinc annis, dignati eſtis gratiâ, & iſtis, quæ in eum conferre placuit, beneficiis,*

Digitized by Google

ciis, prædicare mihi non licet, ſed fatendum potius, quod ejusmodi multifariæ gratiæ & benevolæ voluntatis cumulo, tanquam Jure ſeu privilegio reali & in heredem tranſitorio, me quoque perfrui, clementer ac benigne permiſeritis. Cum autem crebras haſce & continuas, gratioſæ atque propenſæ Veſtræ in me voluntatis declarationes, publice teſtandi, & ſubmiſſas debitasque pro illis referendi gratias, mihi nondum obtigerit occaſio, præſentem, quâ privilegia quæ vocant doctoralia conſequi legitimè, apud mentem conſtitui, non prætermittam. Specimini itaque huic publicè edendo, EXCELLENTISSIMA VESTRA NOMINA *præfigens, iterum iterumque rogo, ut levius hoc devotæ mentis documentum, ſereno vultu ſuſcipiatis, & veſtrâ gratiâ voluntatisque propenſione, ceu reali beneficio, me uti porro, non dedignemini.*

VESTRARVM EXCELLENTIARVM

ſubmiſſus & obſequioſus
Cultor

CHRISTIAN GOTTFRIED CONRADI.

Digitized by Google

PRÆFAMEN.

CUm in hodienis pecuniarum anguſtiis, remedium cedendorum bonorum depauperatis debitoribus tam frequens uſitatumque ſit, illi autem, evitandi carceris cauſâ, hocce ad aſylum advolantes, à Creditoribus ſæpiſſime multis verborum contumeliis probrisque lacerari, imò pro infamibus fermé perſonis venditari ſoleant, præſertim ſi Credentes, ſe mutua data vel plane non vel non in totum recuperaturos eſſe, experiantur; ejusmodi attamen homines fortunâ adverſâ ad incitas redacti, miſericordia magis, quam ignominiis digni ſint, mihi ſpecimen, quod vocant inaugurale, meditanti, de ceſſione bonorum famam non ſuggillante, differere quædam placuit, quibus conatibus ſummum Numen clementiſſimè annuat.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS

DE

CESSIONE BONORVM FAMAM NON SVGGILLANTE.

§. I.

MOnitum equidem celeberrimi JCti VLPIANI *in l. 1. ff. de reb. cred.* & *l. 1. §. 1. ff. de ſuſp. tutor. & curat.* quod cuilibet de certa quadam materiâ dicturo vel ſcripturo commendat, & explicationem vocabulorum propoſiti thematis tractationi rei præmittendam deſiderat, contemnendum non eſt, multò magis iſtiusmodi vocum prævia inveſtigatio rebus exponendis interdum non parum lucis afferre ſolet, me tamen errorem haud magnum committere confido, ſi laudati JCti monitum, ad verba tantum intellectu difficiliora, æquivoca & variis ſibique invicem contrariis ſignificationibus ſubjecta reſtringam, & in præſenti de vocabulis rubri anxie evolvendis, perdendo operam non ſim ſollicitus, cum quid cedere rem, cedere bonis, & famam lædere ſeu ſuggillare, ſignificet, non ſolum latiæ linguæ expertis, ſed & in vulgus notum ſit.

§. II.

Rem itaque ſtatim aggrediamur, & occaſione definitionis, quod ſcil. Ceſſio bonorum ſit beneficium, quo debitor ære alieno ſine dolo & culpa obæratus, omnia ſua bona Creditoribus relinquere & ſe à carcere liberare poteſt, *l. 4. C. qui bon. ced.* vid. CHRISTIN. *Vol. 4. Dec. 123.* præmiſſâ diviſione, perſcrutabimur tam qui-

quibus perſonis, quibus ex cauſis & modo, ceſſio bonorum permittatur, quam quæ bona cedi debeant, ac quem effectum facta ceſſio, cedentis intuitu ſortiatur & quæ ſint ejus affinia, paucis annectemus.

§. III.

Dividitur autem ceſſio bonorum haud incommodè in judicialem & extrajudicialem *l. fin. ff. de ceſſ. bon.* judicialis eſt, quam quis nolens volens interveniente judicis decreto ſuſcipere cogitur; Extra judicialis eſt, quæ ex partium conventione, nullo cogente jure ex utriusque & cedentis & ceſſionarii libera voluntate proficiſcitur.

§. IV.

Romani, cum, variis quondam modis adverſus debitores obæratos proceſſerint, durisque remediis ad compeſcendam decoctorum frequentiam uſi eſſent, & id quoque multi privata autoritate feciſſent, ſiquidem ex *LL. 12. Tabb.* in nervum & compedes duci venumque exponi poterant debitores & permiſſa fuerat Creditoribus ſectio & partitio membrorum debitoris, qui non erat ſolvendo, ut eſt apud GELL. *L.20. c.1.* CUJAC. *L.3. obſ.39.* HOTOM. *Qu. illuſtr. 26.* hæc autem lex nimis crudelis & immanis videretur, indeque deſuetudine abrogata eſſet, in ejus locum recepta fuit auctio ſeu ſectio bonorum, ſive ſolennis venditio, quæ ignominiam afferebat debitori ejusque ſanguinem, id eſt, rubore ipſum ſuffundebat, ut eleganter TERTULL. in apologetico *Cap.3.* ſuffundere, inquit, maluit hominis ſanguinem, quam effundere. *Add.* SALMAS. *de mod. uſur. cap.18.* & A. CONTIUS *lib. 2. ſubſec. lect. c.18.* Ubi ſimul

Digitized by Google

rationem differentiæ inquirit, cur ceſſio bonorum non infamet, cum præfata ſolennis bonorum venditio id faciat. Hujus ſolennis venditionis bonorum, quam permultas ambages fieri ſolitam Imperator *§. 1. J. de ſucceſſ. ſubl. quæ fieb. per bon. vendit.* attingit, meminit etiam CICERO *pro Quint. & 6. ad Att. 1.*

§. V.

Hæc autem ceſſio bonorum, ſublata quoque iſta ſolenni bonorum ſectione, tandem lege Julia introducebatur, *l. 4. C. qui bonis ced. poſſ.* & quamvis hodie præſertim in Saxoniâ Elect. aliisque Provinciis, uſus carceris publici, qui vulgò der Schuld-Thurn appellatur, non penitus exolevit, ſed potius in locum iſtius moris, quo debitor ad manus Creditoris tradi ſolebat, ſurrogatus videtur, CARPZOV. *P. 2. Conſt. 22.* MATTH. COLERUS *in Tr. de proc. Execut. L. 1. T. 3. a. 1. add. ren. Ord. Proc. Sax. §. 1. ad Tit. 42.* ad hunc tamen & evitandum, Debitoribus, bonis ſuis infortunio lapſis, prædicto bonorum ceſſionis beneficio adhuc ſuccurritur, vid. *alleg. Ord. Proc. Sax. §. 2. d. l.* & *Mand. Regio-Elect. contra* die *Banquerotiers, de anno 1724.* emiſſum.

§. VI.

Debitorum verò ad inopiam redactorum non ineptè tres ſtatuuntur ſpecies, alii ſunt, qui ſolâ & propriâ culpâ ſeu vitio facti ſunt non ſolvendo, & hi proprie bancoruptores audiunt *L. 71. §. 3. in fin. ff. de Cond. & demonſt.* Quorum etiam mentionem facit *R. I. de anno 1548.* zu Augſpurg, *art. 22.* huc pertinent Neomercatores glorinantes in multitudine domeſticorum, Inſtitorum, ſcribarum proviſorum, ſervorum ſervarum-

rumque & quæ ejusdem generis ſunt, quorum victus & amictus cum mercede totam ſubſtantiam patrisfamilias brevi conſumunt. MOLLER. *in tract.* von Banckrottirer und Fallitten. *p.3.pag.19.* item qui ſumptuoſis epulis ſua decoquunt, qui luſibus addicti ſub ſpe lucri pecunias perdunt, qui litibus ſumptuoſis alios vexant, & ob multarum expenſarum amiſſionem depauperantur, qui nimis familiariter cum judæis negotiantur, & quo ſecurius & utilius id ſibi profuturum ſperant, eo perniciosius in fine eorum fraudem experiuntur, qui negotiatione & vocatione ſuâ non contenti altiora aſpirantes dant operam arti alchymicæ. Plures videre placeat apud MOLLER. *d. l.* PERETZ. *in tit. C. qui bon. ced. poſſ.*

§. VII.

Sunt alii, qui partim proprio, partim fortunæ vitio facultatibus cadunt, inter quos numerandi mercatores, qui amplas negotiationes faciunt, quibus pares non ſunt, qui in remotis provinciis negotia & mercaturam exercent, ſed cum ipſi ejusmodi negotiis ſupereſſe nequeant, Inſtitoribus committunt, hi verò officio ſibi demandato, ut oportet, non ſatisfaciunt, qui faciles in fidejubendo ſe præſtant, & ſe ipſos periculo ſolutionis exponunt, *L. fin. C. ad L. falcid.* Atque hi an commiſeratione vel pœnâ digni prudentis judicis arbitrio relinquendum, qui pro modo culpæ dijudicaturus eſt.

§. VIII.

Alii ſunt, qui ſola novercante fortunâ facultatibus lapſi, unde CIC. Phil. 2. in hæc verba: *Illud ta-*

Digitized by Google

men audaciæ tuæ, quod ſediſti in duodecim Ordinibus, cum eſſet Lege Roſcia certus locus conſtitutus, quamvis quis fortunæ vitio non ſuo decoxiſſet. Et hi commiſeratione potius, quam odio & pœnâ afficiendi, cauſas, propter quas tali modo ad incitas rediguntur homines, videre licet *L. 18. ff. Commod. L. 2. §. 3. ad L. Rhod. de jact. L. 3. C. de naut. fœn. L. 10. ff. qui ſatisd. cog. L. 5. §. 4. ff. Commod. L. 1. §. 4. ff. de O. & A. & §. 15. diſſ. noſtræ* & de his nobis ſermo eſt.

§. IX.

Bonis igitur cedere poſſunt omnes debitores ſine dolo & culpa obærati ſive ſint patresfamil. ſive filiifam. *L. 7. C. qui bon. ced. poſſ.* Siquidem filiifam. ex contractibus ſuis perinde ac patresfam. vinculantur & conveniuntur *L. 39. ff. de O. & A.* Cujuscunque ſint ſexûs ſive maſculini ſive fœminini, minores & majores, modò liberam rerum ſuarum habeant adminiſtrationem SCHNEIDEWIN. *ad §. ult. I. de act.*

§. X.

Sed quid dicendum de eo, qui nihil in bonis habet? nihilominus eum bonis cedere poſſe affirmamus cum ZOES. *ad ff. de ceſſ. bonor. n. 4.* quia etiam ab eo, qui nihil habet, injuria incarcerationis removenda. Quo caſu equidem fruſtranea videtur ceſſio, eum tamen effectum habet, quod creditoribus in bona debitoris futura, & forte fortuna ipſi obtingentia, Jus quaſi reale jam conſtitutum, & debitori bonorum noviter ſibi occurrentium adminiſtratio & libera diſpoſitio ejusmodi ceſſione facta ademta ſit, imò illa etiam relicto tantum competentiæ beneficio cedere tenetur. *§. 40. J. de act.*

§. IX.

Digitized by Google

§. XI.

Perſonæ etiam myſticæ, ut eccleſiæ, civitates & univerſitates bonis cedere valent, in qua tamen ceſſione non veniunt bona ſingulorum, quia iſta bona non ſunt univerſitatis, & quod univerſitas debet, ſinguli non debent. *L. 7. ff. quod cujusque univerſ. nom.* niſi ſyndicus ad hoc per concilium univerſitatis conſtitutus, obligâſſet univerſitatem & ſingulares perſonas GODEN. *Conſ. 34. n. 26. 46.* ENGELBR. *ad ff. de ceſſ. bon. n. 6.* abſentia verò doli, & ne ceſſio in fraudem Creditorum ſuſcipiatur, & hic requiritur, in delictis enim, quibus dolus malus accenſetur, nunquam locum habet, ZOES. *ad d. l. n. 6.* & indignus eſt legis beneficio, qui in legem committit. *l. 37. inf. ff. de minor.* nec cuiquam calliditas ſua prodeſſe debet, *l. 11. §. 1. ff. ad exhib. l. 63. §. 7. ff. pro ſoc.*

§ XII.

Huic cedendorum bonorum beneficio renunciari poſſe, negant ENGELBR. *d. l. §. 23.* & LAVTERB. *in Comp. ff. de ceſſ. bon.* quibus & adſcribit BACHOV. ad Treutl. *Vol. 2. D. 24. th. 4.* item ANTHON. PEREZ. *in Comment. ad Cod. L. 7. T. 71. n. 20.* quia nimirum miſericordiæ chriſtianæ renunciari haut poſſet nec deberet, ne quidem jurato, adeo ut invitis etiam Creditoribus relaxatio juramenti hujusmodi, utpote bonis moribus contrarii obtineri queat, STRUV. *Ex. 44. th. 26.* contraria tamen ſententia verior videtur HILLIG. *ad Don. Enucl. L. 27. cap. 9. lit. Z.* STRYCK. *in Caut. S. 2. c. 1. §. 39.* COLER. *Proc. Exec. P. 1. c. 6. n. 96.* quia quis ſe obligare

 pot-

poteſt ad carcerem, quem pati debet, ſi æs alienum ex ſolvere nequit debitor, & huic beneficio antea renunciavit, hoc enim beneficio tum uti nequit. Is vero, qui debita ſe ſoluturum juravit, hoc beneficio adhuc uti non prohibetur, ZOES. *ad ff. d. l.* cum per bonorum ceſſionem ſolutio non dirimatur, ſed potius promoveatur, & quamvis illa inſequente, in totum debita non ſemper tollantur, cum bona ceſſa, extinguendæ alieni æris moli, plerumque ſint inſufficientia, debitor tamen & poſt factam ceſſionem in obligatione permanet, adeo ut Creditoribus jacturam nominum ex ceſſione paſſis, de futuris bonis ſatisfacere teneatur, *l. 1. C. qui bon. ced. poſſ. l. un. §. 7. C. de rei ux. act. l. 8. C. ſolut. matrim.*

§. XIII.

Quod à ceſſione bonorum dolus & culpa abeſſe debeat, ſupra jam dictum, de dolo, qui animo creditores fraudandi committitur, res expedita eſt, uti jam demonſtravimus, circa culpam vero, ob quam bonorum ceſſio impeditur, quæſtio moveri poteſt: num ſcil. Debitori, bonis cedere volenti, exactam diligentiam rebus ſuis adhibuiſſe incumbat, & inde ab ipſo etiam levis culpa præſtanda fuiſſet? an vero tantum latæ culpæ abſentia, ad concedendam ipſi bonorum ceſſionem ſufficiat. Prius aſſerendum videtur, cum Debitor, contrahendo cum altero, & exinde æs alienum in ſe recipiendo, ex contractu in quo utriusque contrahentis verſatur utilitas, obligetur, adeoque ad culpam latam & levem præſtandam obſtrictus eſt,

l. 5.

Digitized by Google

l. 5. §. 2. ff. commod. vel contra, & *l. 23. ff. de R. I.* imò ejusmodi negotia contraxiſſe potuit, ubi propter ipſius tanquam ſolius accipientis verſatam utilitatem, etiam leviſſimam culpam præſtare debebat, ut in commodato, *l. 5. ff. d. t.*

§. XIV.

At enim vero cum bonorum ceſſio miſerabile audiat auxilium *l. 8. C. qui bon. ced.* quod illis tantummodo permittendum, qui miſerias, calamitates & caſus fortuitos ut mox dicemus, paſſi ſunt, debitor proprie ad nullum culpæ genus præſtandum teneri videtur. Cum autem è contra Dolus in omni contractu præſtandus ſit *l. 23. ff. d. t. & l. 27. §. 4. ff. de pact.* & porrò lata culpa in cauſis civilibus ſive pecuniariis æquiparetur dolo, *arg. l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod.* præter dolum hæc etiam à bonis ceſſuro exulare debet.

§. XV.

Caſus, ſeu cauſæ, quæ facultatibus ſuis lapſis beneficium cedendorum bonorum conciliare valent, ſunt varia, v. g. incendium, ruina, latronum & hoſtium incurſus, naufragium, furtum, vis aquarum inſolita, aliæque inſignes calamitates, quibus miſeri homines opprimuntur, vid. SCHILT. *Exerc. ff. 46. th. 8.* STRAUCH. *Diſſ. 28. th. 18.* & STRUV. *Exerc. Jur. Civ. 44. th. 26.*

§. XVI.

Hoſce autem caſus, bonis cedere cupiens, non tantum allegare ſed etiam probare debet, cum contra eum omnis conjectura & præſumptio militet, hoc enim

Digitized by Google

enim genus hominum depauperatorum facile mentiri ſolere, ipſâ experientiâ, quotidie audimus, & eâ ſuper probatione audiendi quoque creditores, qui ſi nihil contra eam excipere queant, invitis etiam iis, ad ceſſionem bonorum debitor Jure civ. admittendus eſt, *§. fin. Inſt. de Replicat.* Allegatis vero infortuniis aliisque circumſtantiis adminiculantibus jurata Debitoris confirmatio accedens, loco probationis ſufficere videtur, per *§. 3. prælaud. Mand.* contra alieni æris decoctores in Sax. Elect. anno 1724. emiſſi.

§. XVII.

Licet alias in executionum peractionibus, opificibus, qui ob debitum excutiuntur, inſtrumenta, quo victum & amictum ſibi impoſterum acquirere non impediantur, relinqui ſoleant, nec ruſticis ea, quæ ad agros colendos faciunt, extorqueri debeant; in ceſſione tamen bonorum hæcce res retineri nequeunt, ſed omnia bona cedenda ſunt, *arg. L. 1. C. qui bon. ced.* & debitor in quantum facere poteſt, convenitur, *L. 4. ff. de ceſſ. bon.* Non enim liberatus eſt per ceſſionem, niſi ſolidum creditor receperit. Attamen debitor alimentis quotidianis, labore ſcil. ſuo paſſim acquiſitis fraudandus non eſt, *l. 6. ff. d. t.* Quod facit commiſeratio & humanitas, ne afflicto addatur afflictio, & ne ſemel excuſſus ac omnibus fortunis ſpoliatus, in ſolidum ſeu perpetuum damnetur, ex æquitate quoque veſtis quotidiana & lectus ipſi relinquendus videtur, per ea quæ tradit. ZOES. *ad ff. d. t. n. 14.* hoc ultimum autem non admittit BARTH. *in Hod. For. cap. 3. §. 28. in not.*

not. ſub lit. a. Feudalia inſuper etiam emphyteutica & fideicommiſſo obnoxia bona, in quantum ſcil. Debitor ex iis uſumfructum vel aliud quid percipit, cedi debent ad dies vitæ, vid. STRUV. *Exerc. 44. th. 30.* In feudo autem hoc ſingulare, quod vaſallo inopi tantum ex feudi fructibus concedendum ſit, ut Domino ſervitia exhibere valeat. CARPZOV. *P. 2. Conſt. 25. def. 5.*

§. XVIII.

Ab ejusmodi totali vero excuſſione immunes ſunt perſonæ, quibus competit beneficium competentiæ, hæ enim neceſſaria vitæ ſubſidia retinent, quantum ipſis opus eſt non tantum pro ſe, ſed etiam pro familia ſua alenda, vid. MEV. *in Diſcuſſ. Levam. inop. debit. C. 4. 5. 7. n. 18.* CARPZOV. *P. 2. Conſt. 32. def. 17.* Ita tamen ut poſt mortem debitoris bona ab executione excepta & illi ad ſuſtentationem aſſignata, rurſus aſſignentur Creditoribus & Jure ſucceſſionis in liberos non transferantur. Quod SCHOEPFF. *in Synopſ. Jur. priv. ad Tit. ff. de ceſſione bon. n. 13.* eò extendit, quod poſt mortem debitoris ceſſent alimenta etiam pro familiâ & liberis.

§. XIX.

Quibus perſonis hoc competentiæ beneficium competat, videre eſt partim ex *l. 49. ff. de Re jud.* partim & abundantius apud eos qui de debitorum levaminibus ex profeſſo egerunt, quorſum referendi CASP. MANZIVS *in Patroc. debit. depauper.* DAV. ME-

 VIVS

VIVS *in Diſcuſſ. Levam. inop. debit.* WOLFF. SIGISM. à VORBVRG *in Aſylo afflict. & ſpoliat. debit.* BEN. CARPZOV. *in Aſylo Debit. ad incit. redact.* & idem *Part. 2. Conſtit. 32. def. 15. ſeqq.* circa hoc competentiæ beneficium id tamen notandum, quod ceſſet, ſi creditor æque ſit inops, MEIER. *Colleg. Arg. Tit. de re jud. th. 35. n. 2.* cum in caſu, quo ſolidum non conſequitur creditor, & exinde ipſemet laboraturus eſt inopiâ, æquius ſit debitorem indigere, quam creditorem carere neceſſariis.

§. XX.

Nihil autem intereſt, ubi fiat bonorum ceſſio ſive in- ſive extra judicium, ſola enim ſufficit voluntas de Jure Civili *L. 6. C. qui bon. ced. poſſ.* de jure verò Saxonico aliter non valet, quam ſi judicialiter facta CARPZOV. *L. 5. tit. 5. Reſp. 37. n. 1.* Requiritur tamen (1) ut creditores urgeant ſua debita *L. fin. ff. de ceſſ. bon.* (2) ut cedens debitum agnoſcat. *L. pen. ff. de ceſſ. bon.* (3) ut debita ſint liquida HAHN ad *Weſenb. Exerc. 21. th. 27.* (4) ut omnia, quæ poſſidet bona mediante inventario & traditione libri rationum fideliter indicet *d. l. pen. de ceſſ. bon.* STRUV. *S. I. C. Exerc. 44. th. 27.* HAHN. *ad Weſenb. tit. de ceſſ. bon. n. 4.* Et plurimum juratam bonorum juriumque manifeſtationem præſtet, quod nullam rerum cauſâ occaſionem aut aurum reliquum habeat. *N. 135. C. 1.*

§. XXI.

Ad effectum ceſſionis bonorum nunc deveniendo, ille poſitive, quem operetur ſcilicet, & negative,

quem

Digitized by Google

quem non ſortiatur bonorum ceſſio, conſiderandus eſt. Liberatur autem Creditor bonis cedens non tantum à carcere *l. 1. C. qui bon. ced.* ſi antea nempe infortunia demonſtraverit vel juraverit, & creditoribus mediante juratâ bonorum ſuorum ſpecificatione juratò promiſerit, ſe illud quod forte reſiduum maneret, ad pinguiorem fortunam perveniendo, eſſe ſoluturum, *Nov. 135. c. 1.* BARTH. *Hod. for. d. l. conf. Ord. Merc. Lipſ. Tit. ult. j. Mand.* contra die *Banquerotiers*, ſed etiam ab aliis, quibus debet creditoribus, interim inquietari nequit *l. 4. ff. de ceſſ. bon.* quamvis modicum aliquid poſt vendita bona acquiſiverint, *l. 6. ff. d. t.* excipe tamen creditores cambiales, contra quos ceſſionis bonorum beneficium, debitorem, niſi præſcriptum moratorium impetraverit, non tuetur, juxta *§. 4. modo allegati Mandat. Regio Elect.*

§. XXII.

Illud & operarur bonorum ceſſio, ut cedens non facile admittatur ad publicos honores ac dignitates *arg. L. 6. pr. ff. de mun. & honor.* & diſſolvitur ſocietas, quam debitor cedens cum aliis contraxit, quod tamen intelligendum, ſi pecuniam in ſocietatem contulerit ſecus ſi tantum operas præſtiterit *§. 8. I. de ſociet.* item poſſeſſio bonorum, quibus debitor ceſſit, voluntate domini quaſi per traditionem in creditores transfertur STRAUCH. *Diſſ. 28. th. 7.* Cæterum neque naturalis neque civilis obligatio tollitur.

Digitized by Google

§. XXIII.

At ſi nova poſtea bona debitori obveniunt, illa plane prorſusque cedere non tenetur, ſed gaudet in iis beneficio competentiæ, *§. fin. Inſt. de act.* ad rationes autem reddendas de noviter acquiſitis creditores adigere poſſunt debitorem, vid. BARTH. *d. l. ibique præjudicia relata.*

§. XXIV.

Id verò poſt ſe non trahit bonorum ceſſio, ut cedens exinde ignominiâ vel levis notæ maculâ afficiatur, quod ut propoſito themati ſatis faciamus, paucis adhuc explicabimus.

§. XXV.

Quamvis enim Domino alienis æribus obruto, *§. 1. Inſt. qui & ex quib. cauſ. manum. l. 23. ff. quæ in fraud. cred.* permittebatur, ſervum heredem neceſſarium inſtituere, ut injuriam ſeu ignominiam venditionis bonorum ſub haſta evitaret, quâ ex re famæ labem, quam debitores bonis cedentes incurrebant, derivari quidam ſentiunt, iſta tamen ſolennis venditio, de quâ jam §. 3. diximus non ſolum abrogata, ſed & ignonimia, quæ ex illa oriri credebatur ad infamiam Juris nunquam relata eſt, multo magis fama creditoribus bonis cedentibus, *in l. 11. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. & l. f. C. qui bon. ced.* ſemper ſalva fuit reſervata. Præterea quoque hodie non ſubhaſtatio, ſed tantum dolus foro

ceden-

Digitized by Google

cedentis ſeu judicium effugientis infamat, *vid. Ord. Pol. Imp. de anno 1577. t. 23. §. 1. 2. Reſol. Grav. de ao. 1661. gr. 78. j. Dec. Elect. Sax. 30.* & *Mand. contra* die *Banqueroutiers, §. 6. ſeqq.*

§. XXVI.

Porro quidem CUNRADUS RITTERSHUSIUS *in Comment. ad Inſtit. Imperial. ad §. 1. J. qui & ex quibus cauſ. manum.* evincere cupit, quod ceſſio bonorum opinionem & verecundiam cedentis ſuggillet, & *ad §. 42. J. de act.* repetit, ceſſione bonorum opinionem cedentis apud graves viros lædi, eumque in finem *Nov. 4. & 135.* allegat, dicteria autem hæc allegatæ Nov. contextui è diametro contrariantur, potius in præfatione *dictæ Nov. 135.* pro injuſtiſſimo habetur, quod Zoſarius quiſpiam à Provinciæ Præſide, pecuniarum publicarum pariter ac privatarum nomine, per contumeliam conventus fuerit.

§. XXVII.

Præterea, cum ceſſio bonorum ſit Juris beneficium & de genere permiſſorum, *l. 7. & 8. C. qui bon. ced.* quâ ratione ejusdem uſus ignominiâ aliquem vel famæ diſpendio poſſit aſpergere? In favorem Creditorum miſericordiam merentium introducta bonorum ceſſio, in illorum detrimentum quod imminutione famæ paterentur, detorqueri nequit, favorabilium enim ea natura non eſt, ut noceant vel damnum ferant. Ceſſio bonorum permittitur nulli, niſi qui ab omni do-

lo & latâ culpa alienus eſt, famæ macula autem non niſi facto turpi & illicito dolum præſupponente contrahitur, inde doli & ab hoc fluentis facti turpis ſeu illiciti expers, à famæ quoque maculâ immunem eſſe convenit. Maximè cum ſcopus infamiæ ſit vindicta contumaciæ & doli, quæ exulant in iis, qui inimicâ fortunâ bonis lapſi ſunt.

§. XXVIII.

Affinitatem habent cum ceſſione bonorum induciæ quinquennales, quæ ſolent à Creditoribus dari debitori *L. 8. C. qui bon. ced.* & nihil aliud ſunt, quam beneficium à Creditoribus vel potiori parte humanitatis intuitu debitori caſu fortuito damnum paſſo datum, ut per quinquennium non pulſatus eo elapſo ſolvere poſſit. Adeoque ſi plures concurrant Creditores, quorum aliqui ceſſionem urgent, quidam verò inducias indulgere volunt, decidit imperator *L. 8. C. qui bon. ced.* ut vel ex cumulo debiti vel ex numero perſonarum res ſit dijudicanda; ſi major pars, ubi nempe major ſumma vel gravior debiti cumulus concedere inducias voluerit, etſi unus tantum ſit creditor, præfertur contradicentibus, qui minores ſummas prætendunt, in pari autem quantitate debiti, ſed numero diſpari pluralitas Creditorum præfertur, ſi undique paritas ſit, humanior ſententia concedens dilationem præferenda eſt. *L. fin. C. qui bon. ced. poſſ.*

§. XXIX.

Contrariari quidem videtur, quod contradictio in pari

Digitized by Google

pari cauſa videatur potior, præſertim ſi de illorum jure imminuendo agatur, ſed melius eſt pauca dividere, quàm totum perdere, & per minorem partem commodum & utilitatem majoris partis impedire STRAUCH. *de decoct. p. 4. n. 9.* niſi pars minor contradicens colluſionem majoris partis detegat, evenit enim, ut facultatibus lapſi vel promittant, vel clam creditoribus quibusdam dent, ut conſentiant, ne illis malitia ſua ſit lucroſa, aliis ſimplicitas damnoſa *contr. L. 1. ff. de dolo. L. 15. C. de non numerata pecun.* Similiter ſi doceatur debitum ſimulatè conceptum ſeu in fraudem excogitatum, tali caſu Creditores adhuc graviter puniendi. Ulterius limitatur, ſi minor pars habeat hypothecas *L. 10. ff. de pact.*

§. XXX.

Cum igitur Creditores aut major eorum pars inducias quinquennales indulgere poſſint, multò magis id licebit Imperatori ſeu Principi & domino territorii eas tum ob commiſerationem debitorum, qui ob novercalem fortunam bonorum jacturam paſſi, tum ob importunitatem Creditorum *L. 105. ff. de ſolut.* tum ab reſpirationem debitoris, quâ quandoque Creditorum utilitas magis, quàm per ſquallorem carceris & extremæ egeſtatis augetur, concedere.

§. XXXI.

Sunt tamen debita quædam, quæ moratorium non admittunt uti (1) in reſtitutione depoſiti *L. 11. pr.*

C. de-

Digitized by Google

C. depoſ. (2) Quod debetur mercenariis vel operariis, qui ex mercede vel opere ſe ſuosque ſuſtentant. MOLLER. *lib. 4. ſemeſtr. C. 6. n. 2.* (3) Illa quæ poſt moratorium contracta ſunt, item pretium comeſtibilium in foro venalitio emptorum GVIDO PAPÆ *deciſ. 109.* (4) Quod ad pias cauſas pertinet. TIRAQVELL. *de privil. piæ cauſ.* (5) Debita alimentorum MENOCH. *de arbitr. jud. qq. Lib. 2. Cent. 1. caſ. 52. n. 12.* (6) In cauſa pignoris ſoluto debito, plura qui deſiderat, conferat LIMNÆVM *de jur. publ. Lib. 4. cap. 8. n. 342.*

§. XXXII.

Ulteriora cum ceſſione bonorum ſunt affinia ſalvus conductus, ejuratio bonæ copiæ, quæ eſt ejurare bonam copiam ſibi non eſſe æris alieni diſſolvendi & alia, de quibus autem fuſius agere nec inſtituti nec temporis ratio permittit.

S. D. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE